CHRISTOPHORVS Ionsonius Ioanni Capelino ciui ac mercatori Southamptonensi grauissimo.



SI nihil aliud spectarem, uir humanissime, quàm quod Richardus Whitus sororis tuæ (ut ipse prædicare solet) filius, amicus meus sit, fueritque iam inde à pueris, certè ea mihi iustissima causa uideri posset, cur has eius orationes, præsertim doctas & elegantes, librarijs excudendas committerem, minimeque sinerem tantas eius ingenij dotes, tam accuratam amici industriam diutius in occulto esse. Iam uerò neque illa causa nulla est, neque non sunt aliæ maiores. Nam primum (ut de tua humanitate aliquid dicam) quid magis conuenit, quàm eam omnibus laudibus efferri atque ornari, qui tuo sumptu singulari effeceris, ut hic Richardus utroque parente orbatus admodum puer, sine spe, sine opibus, primum Wyntoniæ in grammatica, deinde Oxonij in dialectica, cæteraque philosophia, tum Louanij in rhetorica, ubi has orationes cum multorum admiratione habuit, postremo Patauij, ubi nunc agit, in Iurisscientia tantum prouentum faceret, quantum hodie in optimo ac studiosissimo adolescente uidemus. Nec te propter hæc laudari solum (quæ pro tot meritis perquàm sane exigua remuneratio est) sed eorum etiam sumptuum, quos in eum impendisti fructum aliquando capere existimo oportere. Quod utrumque

mea

26 : 16

2

mea quidem sententia, hac istarum orationum diuulgatione fiet maximè: illud, quia non dubito, quoniã omnes, qui quidẽ de literis aliquid iudicare possunt, quum hæc uiderint, te tuamq́ pietatem ac liberalitatem laudaturi sunt, utinam imitaturi quoque: hoc, quod existimem nullum ex sumptibus uberiorem fructum posse percipi, quàm si eos intelligas irritos non fuisse: quod tantũ abest ut suspiceris, ut haud sciam, an ulla unquã mercatura plus lucri feceris, magisq́; rem tuam familiarem auxeris, quàm, quum huic iuueni literas, quæ & tibi quoad uixeris ornamento, & post mortem liberis tuis tutelæ ac propugnaculo futuræ sunt, cõparasti: taceo interim quàm fueris patriæ ciuis bonus atque utilis, cui uirum doctum, hoc est thesaurum longè preciosissimum, condonasti. Atque hæc quidem me causa inprimis commouit ad hanc editionem: uolui enim ut & tu quantũ boni feceris intelligeres, & ut omnes intelligerent. Postremo illud quoque in mentem ueniebat, iuuentutem Britannicam, quæ passim per uniuersam insulam otio scholastico uacat, etsi habeat quos sequatur in eloquentiæ studio authores grauissimos, Fabium ac Ciceronem, posse tamen nescio quo pacto domesticis fortasse ac familiaribus exemplis melius excitari. Ex meo ingenio coniecturam facio: certè ego quum puer essem, & grammatices præceptis operã darem, ut alia non aspernabar, ita si quando in Thomæ Mori aut Epigrammata, aut Vtopiam, aut Declamationes ex Luciano conuersas incidissem, nescio quo modo,

præter

præter omnem modum ac rationem delectabar, studióque legendi uehementer efferebar. Si causã quæris, nullam aliam habeo, quàm quod Anglus quum esset Morus, non dubitabam me Anglum, nisi ingenium aut ualetudo impediret, pari studio, parem etiam literaturam aliquando posse consequi: quod in antiquis exterisque illis sperare non licebat. Itaque operæ precium me facturũ existimaui, si has amici mei lucubrationes in publicam studiosorum utilitatem proferrem, ut omnes haberent & quod imitarentur & quicum certarent, & quem superarent etiam si possent: neque enim ægrè feret Richardus Vuhitus, (cuius ego hominis candorẽ noui) si in hoc, præsertim à suis ciuibus, literario certamine uincatur. Reliquum est, ut quum ego in hys edendis amicitiæ satis fecerim, tuæ laudi consuluerim, iuuentutis studia adiuuerim, tu pro tua sapientia meum hoc officium in bonam partem accipias, ac Richardum tuum, meum inquam, immo utriusque si pateris communem thesaurum, amare, fouere, atque omni munificentia ac liberalitate, uti facis, ornare nunquam desinas. Vale. Vuintoniæ è collegio nostro, quinto Kal. Mart. Anno. Dom. 1565.

Fragmentum cuiusdam epistolæ, quæ ab Anglo quodam Parisiis quum esset, ad Christophorum Ionsonum scripta de Richardo VVhito, quem Leuconymum appellat, inter cætera sic habet.

OMnes tui te salutant plurimum, ualentq; & uiuunt more solito. Nuper etiam a Leuconymo accepi literas, qui nunc annum totũ atq; eò amplius transegit Patauij. Totus est in Iure, unde puto aliquãdo proditurus est grauissimus aliquis Alciatus, quod serio dico ac uti mihi persuadeo. Nosti enim hominem ac ingenium. Vellem tecum pluribus agere, & ad antiqua ac familiaria magis descendere, nisi quòd me nunc alio uocet iter, & te schola, ex qua utinam te posses aliquando totum educere, ac ad magis necessaria conuertere studia, simúlque etiam ueterum congerronum renouare consuetudinẽ iucundissimam. Vale. Tuus Io. P.

RICHARDI WHITI, DE OMNIUM ARTIUM, & PHILOSOPHIÆ CIRCULO, ORATIO.

QVOD EGO SEMPER optaui, auditores, ut mihi aliqua daretur apud vos dicendi occaſio, id hodierno die, & ueſtra omniũ qui adeſtis, uti ſpero beneuolentia, & mea maximè uoluntate contigit. Nam cum in hoc opinioſiſsimo noſtro ſæculo diuerſa eſse uiderem diuerſorum hominum de bonis literis ſtudijsq́; honeſtiſsimis iudicia, dum alius Grãmaticæ proprietatis ignarus, ad Iura & leges adſpiret, alius Dialecticæ irriſor, ineptas moueat quæſtiones, alius Rhetoricæ uituperator, in eloquẽtiam orationes conſcribat, alius tanquam Muſices oſor, accuſetur, alius ex arte numerare negligat, alius Geometriam, ut inutilẽ

reijciat

reijciat, alius Aſtronomiã vt impiam condemnet: cumque iſtas t[illegible] hominum cogitationes ſcirem communibus ſtudijs graue detrimentũ allaturas, putaui ego de totius philoſophiæ (quæ iſtas artes continet) dignitate, eiusq́; partium pulchra conſecutione mihi eſse dicendum. Non quod exiſtimem cauſam tantã & tam grauem meis ingenij uiribus ullo modo ſuſtineri poſse, qui (ſi nihil eſset aliud quod adferretur) nullo certè unquam dicendi uſu excercitatus, in conſpectum ueſtrum hodiè primũ uenio: Sed ut animos ueſtros in amore ſtudij Philoſophici confirmarem, cum intellexerim nihil magnum eſse facile, arduum autem & difficile inueniri quod ſit pulchrum, neq; aurib. ueſtris quicquam eſse dignum iudicauerim, niſi idem pręclarum eſset atq; iucundũ:

malui ego in rei difficillimæ, communibus studiis utilissimæ tractatione sponte mea succumbere potius oneri, quam causam exiguam, nulliusq́; momenti aut existimationis, ad uos adducere: quorum orationes de reb. grauissimis & maximis, multas sæpe audiui, easq́; grauissimas: quibus si nihil referre uelim, ingratus sim. Cum igitur nuper de Musica & Astronomia duabus artib. pręstantissimis eruditè dictum sit, habitaq́; fuerit ex hoc loco oratio, de natura corporũ cœlestium, totiusq́; mundi harmonia: cœpi ego mecum cogitare, non ingratum uobis argumentum futurum, quod similiter de reb. ingenij tractaretur, totiusq́; Philosophiæ summa consentione, presertim cum ex Philosophia communia omnium facultatum, certissimaq́; fundamenta iaciantur. Quam ergo

rem & uoluntate uobis gratificandi & meipsũ partim experiũdi suscepi, auditores, si in ea re uestros mihi animos, cogitationesq́ uestras aliquandiu accommodaueritis, efficiã profectò, ut philosophiam, & quid ipsa sit, unde orta, quæq́ incrementa acceperit, deinde quot & quas partes habeat, quoq́ ordine singulæ cõstituantur, demũ, qui quibusq́ partibus fuerint inuentores, intelligatis. Ita enim maximè uobis ostendetur illa, quam Græci ἐνκυκλοπαιδείαν quasi orbem quendam, atq́ ambitũ disciplinarum idcirco uocant, quòd omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habeant quoddam commune uinculum, & quasi cognatione quadam inter se contineantur. Hæc tria cum docuero, perorabo.

Magnus ille Pythagoras, fuit, auditores, ex tota philosophãtiũ natione

facile

facile princeps. Is uir, cũ ab eo quæreretur, quis nam esset, aut cuius disciplinę consectator, se esse philosophum dixit, & amatorem sapientię. Diuina uerò uox, & uiro docto digna. Vidit enim homo prudentissimus, excepto solo deo, sapientẽ esse neminem, licet eo tum nomine omnes ferè eruditi appellarentur. Quæ igitur scientia multis antè sæculis non simplici magis, quàm arroganti nomine sophia uocabatur, illa post à Pythagora compositiore quidem & meliori uocabulo, philosophia primùm dicta est, quæ certè quid ipsa sit, si ad uerbũ rem uolumus attingere, non iã sapientiã, sed sapientiæ quoddam studium esse intelligitis. Nam est sapientia sublimius quiddam & augustius, scientia profectò non humanarũ modò, sed rerum etiam diuinarum. Cum

autem ſcientiam dico, uideor mihi quodam modo non ſolùm ſtudiorũ noſtrorum, uerùm totius ſapientiæ deum nominaſse, ſacroſanctam inquam Mineruam, bonarum Artiũ omnũ parentẽ, quæ nobis de ipſius Iouis cerebro & capite nata eſt, vt intelligamus, omnẽ ſcientiã ex Deo eſse. Qui cùm hominem per rationem ſibi cognatum effeciſset, hinc euenit, ut partes Philoſophiæ, omnisq; cognitionis ab ingenio deinceps humano inuentæ eſſent atq; excultæ. Quæ poſtquam ad tantã hodiè magnitudinẽ atque infinitatem excreuerunt, ut nullo nunc neq; loco neq; numero contineri poſse uideantur: mihi quidem de ipſis orationem inſtituenti, magnam moleſtiam ſunt allaturæ: niſi ueſtra ſubueniat humanitas, quæ ſi acceſſerit, auditores, ut hactenus Philoſophiam

quid

quid ipsa sit, & unde exorta, breuiter declaraui: sic eius partes pulchro ordine, certoq; numero tanquam in circulum conclusas, uobis etiam ante oculos proponam, ut non tam Auditores diligentes, quàm præsentes in circo Spectatores esse uideamini.

Aristoteles igitur Philosophiæ scriptor absolutissimus, Artem tunc fieri dixit, cum ex multis experientiarum sumptionibus una quædam generalis, siue uniuersa de similibus cõcepta opinio nasceretur. id quod benè nobis declarant primi illi homines, atq; rari adhuc uniuersi terrarum orbis habitatores. Qui cum aliquando conuenissent, (ut natura certè facilè congregantur) seseq; mutuo loquentes intellexissent: audissent contrà brutorum animantium uoces, significantes illas quidem do-

lorem aut uoluptatem, eas tamen intellectu percipere non potuissent: putauerunt hanc sibi uim sermonis solis esse datam. Quod postquam Ægyptij paulo diligentius considerassent, expertique iam longo tempore essent, homines singulos ea uoce vti, quæ ab hominibus intelligeretur, neque id in vllo animalium genere idem euenire, genus humanum certò intellexerunt à cæteris animãtibus oratione differre: cuius certè usus tantus, atque tam gratus inter præsentes tum erat, ut etiam inter absentes eundem haberi exoptarent. quod quando sine scriptis fieri nõ potuit, depingebant quidem formas atque imagines bestiarum, quibus sensus animorum suorum exprimerent. ut quoniam bestię omnis sermonis expertes essent, pro sermonis characteribus & figuris secundũ propri-

as cuiusq; & naturales qualitates haberentur. testantur hoc hodiè Ori Apollinis ἱερογλύφικα Ægyptiacę literaturæ expressa signa. Horum autem hominum primam istam ruditatem miseratus tandem est Mercurius: & figuras quasdam literasq; effinxit, quib. Ægyptij in scribendo uterentur: à quib. certè hominib. & reliqui eas posteà consecuti sunt, & cum primis Phœnices. à Phœnicibus autem Cadmus acceptas adduxit in Græciam. ubi cum earum uim ac potestatem Epicurus aliquandiu contemplatus esset, ex eisq; syllabas coniunxisset, ex syllabis uerba composuisset, ex uerbis autem orationes formasset, illā nobis Artem excogitauit, quæ & rectè loqui, & emendatè scribere docet, appellauitq; Grammaticam, q literas Græci γράμματα uocarent. Hæc est autem Ars una,

 hæc

hæc toto ordine prima. Vnam cum dico, ex multis literis, ex multis uerbis & orationibus in unum iustum modū coniectis, Artem conflatam dico, quæ certè una, per omnes Artes peruagatur: cum nulla sit facultas, quę sine sermone (cuius hæc præcipua cultrix est) doceri queat. Vt igitur unitas reliquorum numerorum initium est, sic & Grammatica cæterarum facultatum, illud tantum interest, quod unitas principiū sit illa quidem cuiusq; numeri, non ipsa tamen numerus: Grammatica uerò præterquam quod omnium liberalium Artium certa sit basis, atq; unicum quo nitantur fundamētum, est ipsa etiam Ars quædam præstātissima, quæ cæterarum omniū prima in primo huius circuli aditu, atq; in ipso uestibulo sita est, ut intelligatis, Auditores, per hanc tanquam

per aliquam ianuam ad ſecretiorā reliquarum adyta uobis eſſe accedēdum. Nam ubi per uerba iuſtè poſita tāquam per certas ualuas, hæc uobis Ars hominum cogitationes aperuiſſet, qui ex ipſo rerum uſu præterita cum pręſentibus coniungentes, futurorū quandā habeāt pręſētionē, cœperūt illi quidem uiri animis, & ingenio fortiores, hominib. imbecillioribus conſilia dare, tum, quomodo ſe aduerſus periculorum quæ inſtabant, calamitates defenderent, tum etiam, quo pacto, ſi quæ acciderent, in futurum tempus ſibi prouiderent, unde prudentes, quaſi de longo interuallo prouidentes ſunt appellati: quod ipſorum factum animaduertens Zeno, maiorem hanc quandam, quàm ſermonis uim eſſe, facile perſpexit. Vidit enim homo acutiſsimus, non oratione ſo-

lùm ab animantibus homines, ſed etiam ratione ſecerni, quam cum colere uoluiſset, ex ea produxit artem Logicam, quaſi humanæ rationis excultricem. Quæ quidem Logica, non ſolùm utilis eſt ad quotidianū ſermonem & colloquia, uerùm ad excercitationem quoq; ingeniorum & difficilium quæſtionum diſquiſitiones: vt neceſſe non ſit dicere, ad cœteras Philoſophiæ diſciplinas multa habere eã emolumẽta. Nã & hoc antè ſignificatum eſt, auditores, omnes artes ab ingenio, rationéque humana eſſe profectas. Ergo cum in omni ſermone & quid uerum, & quid falſum ſit, intelligere, multum interſit ad omnium vtilitatem, nata eſt hęc Ars, ueri falſiq; iudicatrix: quæ duo, duos ferè ſemper habent defenſores, Actorem & Reum: ut inde non malè à quibuſdam uocetur

ista facultas, Dialectica, quasi quædã disputatio. hoc autẽ est, duorũ hominũ putatio, (si liceret dicere) siue iudicium de unius alicuius rei certa ueritate. Quod cum ita sit, ut & hęc Ars duas res, uerũ & falsũ probabili argumentatione discutiat, uerseturq́ eius inter duos sermocinatio, uidetur mihi quadam necessitate in eum locum reponenda, qui est duorum proprius. Secundo igitur loco secũdam artem Dialecticam habete, diuinam planè quandam & admirabilem facultatem, atq; homini soli peculiarem & propriam, cuius de laudibus si mihi nunc esset dicendum, uereor, auditores, ne prius tempus, quàm oratio me deficeret. Dialectica enim per rationis uim, & humani intellectus notiones discurrens, sapientiæ in nobis auxit cognitionem. quæ quidem sapientia cum loquen-

diq uadã uenuſtate, dicẽdiq; uberta-
te, ſeipſam poſteà oſtendit. Vnde
exorta eſt illa quam Cicero copiosè
loquentem ſapientiam, Græci uerò
artem ῥητορικήν uocant, quód iucun-
do quodam ſermonis effluxu ab ore
dicentis emanet oratio. Huius autẽ
gratioſæ facultatis regulas & modos
præſcripſit nobis primus Empedo-
cles, quos cum Zenó artis author
Dialecticæ uidiſset, digitos in pug-
num contrahens: hic eſt (inquit) ars
mea: eoſdemq; ſtatim explicans in
palmam: hic uerò illa Oratoria.
Quando igitur manui contractæ ni
hil natura eſt ſimilius, quàm eadem
manus explicata: quando ad res pro
babiles nihil accedit propius ijs, quæ
dicuntur ueri ſimilia: quandoquidẽ
iſtis eloquentia, illis autem conſtet
diſputatio, videtur mihi Ariſtote-
les uerisſimè dixiſse, Artem Rheto-
ricam

ricam facultati Dialecticæ ex altera parte respondere. Tertio itaq; loco benè dicendi scientiam de duabus primis exurgentem numerate, quæ ut omni laudatione, sic certè numero perfectissimo, ternario est digna. Illa enim una omnes humani sermonis partes absoluit, ob eamq; causam, ut cæteræ duæ, Sermocinalis ab alijs, ab alijs uerò triuialis appellatur, opinor, quod in medio triuij uiatores de diuersis locis profecti, tanquam ad commune itineris punctũ concurrunt. sic est enim in tribus istis facultatibus, ut Grãmaticus à recta locutione, Dialecticus à uera disputatione, Rhetor ab ubertate dictionis, tanquam de uarijs, nec eisdem uijs, ad unici sermonis culturam conueniant, Nam ille distinctè, iste uerè, hic autem loqui docet copiosè. Nec dissimile sanè

 est

eſt & illud, quod ſicut in triangulo rectè fixo duo ſemper, ſunt veluti baſes, ut tertius angulus eleuetur: ſic etiam eloquentiæ ars quædam tertia, ex Grammatica & Dialectica aſsurgens, præ omnibus emineat, illisq; duabus Artibus quibus orta eſt, tanquam certis fundamentis innitatur: ab una quidem uerborum uarietatem, ab altera accipiens rerum grauitatem. quarum hæc niſi ſubeſt, loquax eſt ſtultitia, illa ſi abeſt, indiſerta prudentia. Si quis autem unus unquam eſset qui hæc duo ſimul præſtare potuit ut & ſapienter diceret, atq; etiam ornatè, fuit ille uir in omni benè conſtituta ciuitate magnis ſemper honoribus, & ſumma affectus dignitate. Nam & apud Romanos M. Ciceronem accepimus, apud Athenienſes Demoſthenē, uiros utroſq; eloquentiſſimos

quentissimos omni famæ, & existimationis gloria floruisse. Quorum hic uir totius Gręcię summum atq; immortale decus & ornamentum, cùm in arte sua quid esset potissimum interrogaretur, non sine causa tribuebat & primas, & secundas, & tertias actioni. Est enim actio, quasi corporis quędam eloquẽtia, cum constet è uoce atq; motu. Vocis uerò mutationes totidem sunt, quot animorum qui uoce maximè commouentur. Itaq; orator vtcũq; se affectum uideri, & animum audientis moueri uolet, ita certũ vocis admouebit sonum, nempe contenta uoce dicet atrociter, & summissa leniter, & inclinata uidebitur grauis, & inflexa miserabilis. Mira est enim quędam natura vocis, cuius quidem è tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, magna est &

ſuauis uarietas. cuius certē dulcitu-
do ad aurium uoluptatem ſine Mu-
ſices adiumento accedere non po-
teſt. Ergo auditores, ad iuſtā oratio
nis enunciationem uidetur neceſſa-
ria, diuina illa uis modulandi, quam
Orpheus & Linus Heroes ambo
prȩſtantiſsimi, ambo Dijs geniti
hominibus oſtenderunt. Quorum
ille magnus Deorum interpres, &
inclytus poëta, non ſolùm animos
hominū̃ rationis participes, ſed a-
nimi, ſenſusq́; expertes ſyluas, &
ſaxa, ſingulari quadam canendi pe-
ritia loco mouiſse dicitur. Vt om-
nes intelligant oratorem bonum,
homines pertinaciſſimos, quiq́; ad
iuſtitiam lapidibus ſurdiores, ad hu
manitatem ipſis ſyluis ſunt agreſti-
ores, dicēdo, quò uolet trahere poſ-
ſe. id quod Herculis illius Gallici
nobiliſſima declarat hiſtoria, cuius

ad

ad linguam omnium ciuium aures tanquam cathena colligatę feruntur. adeò semper extitit facundi viri iucunda oratio. Quibus ita constitutis, vt Rhetorica sit, etiam Platone descriptore, oratio Musica, cõcentu quodam harmoniæ de veris rebus loquens: cum Caius quoque Gracchus felicioris semper eloquẽtiæ, quàm propositi & consilij adolescens, apud populum concionat9, seruum post se Musicæ artis peritum habuerit, qui pronunciationis ipsius modos eburnea quadam fistula occultè formabat: cũq; (vt ait Rhemnius Palæmon) Romanis sũmo semper studio fuerit, Musicari Latinitatem: constituite, auditores loco sequenti, ordine inquam quarto Musicam constituite, cuius Artis cœlestem vim, & admirandam iucunditatem mea non potest dig-

nè ornare oratio: ſedes ipſa ornabit. Quid eſt enim quarta ſede collocari, niſi maxima quadam affici dignitate? Omitto nunc quatuor, vnde hęc vniuerſitas cõſtructa eſt, elemẽta: omitto etiam quatuor quibus annus in ſe conuertitur tempora: omitto quatuor, quibus animi hominum reguntur virtutes: hæc vt vulgata omitto. Illud verô nunquam omitto, omnes rationes cõcẽtuũ q ſunt muſicę proprij, vt διὰτεσσάρων, & ſimiles, numero quaternario comprehendi. Quoniamq́ modo trianguli mentionem feci, patiamini me nunc, auditores, familiariter hoc vnum dicere, erit enim planius. Qui nucibus ludunt, cum tres poſuerunt in areæ ſuperficię nuces, vnam præterea adijcere ſolent, & ex illis figuram inſtar Pyramidis efficere. figura, quę in ſuperficie

eſt

eſt triangularis, non vltra ternariũ progreditur: quod autem adiectũ eſt, numero quaternarium, figura autem pyramidem procreat: ac iã corpus fit ſolidum. Eſt igitur ſolidę virtutis orator, eſt vir prudens, eſt fortis, eſt etiam homo quadratus (ſic enim viros omnibus numeris abſolutos vſurpamus) quiſquis ad ſermonis proprietatẽ, ad rationis vim, ad dicendi vbertatem, conum quoq; Muſicum, hoc autem eſt, pronunciationis elegantiam adiecerit. Niſi fortè numerorum adhuc notitia deeſſe uideatur. Nam quodam loco Platonem dicere memini, non ſolum ἁρμονίαν, uerum etiam ῥυθμὸν orationem ſequi debere. & certè numerus apud oratores iam olim increbuit. Etenim quod ſub aurium menſuram aliquam cadit, etiam ſi abeſt à uerſu (nam id quidem ora-

tionis

tionis est uitium) illud omne Cicero numerũ uocat, qui Græcè ῥυθμὸσ dicitur, a quo Ars ipsa numerandi Arithmetica nominata est. de cuius amplitudine, quid primum dicam auditores? An esse eam homini propriam? Tametsi hoc aliquid est, tamen id habet Arithmetica cũ multis commune. An uerò omnes Artes alias in suis partibus eius uti beneficio? hoc quamuis magnum est, tamen nescio quo modo singulæ fere facultates id habent, vt se vicissem adiuuent, & sibi mutua præstent auxilia. Maius ergo aliquod, & de numeratione augustius dicẽdum esse videatur. Quicquid igitur in hoc quem colimus terrarum orbe, quicquid in spacioso cœli ambitu quicquid in tota rerũ vniuersitate cõsistit, mouetur, & est, id omne numerorum complexu continetur

tur

tur. O potentem Artem numerorum, & latè diffusam dominationē. Tuis legibus quęcunque in hac mortalitate, & olim viguerunt, & hodiè florent, & futura sperantur, constiterūt, reguntur, & moderabūtur. Te mortalis ipse deus sāctam fecit, dum vnus natura existens, trium personarum honorari voluit ęqualitate. Sed uideamus, quem numero locum sibi ipsa elegerit Arithmetica. Et sanè non sine quodam misterio, quinta censetur. Nam sacra illa festa Palladis, quę quinquatria, quasi quinquies tria appellamus, non obscure nobis commendat. Etenim si ab vno numeri ordine colligantur ad quinque, efficiēt plenè quindecim, id est, quīnquies tria.

Vidistis hactenus, auditores, totius cursus Philosophici mediā par-

tem. Nam ille, quem fingimus, eruditionis circulus decem punctis circumscriptus est. de decem autem media sunt quinque, quo sanè numero Artes recensuimus. quarum quę media est, ea summa & præcipua est. Eloquentiam, Auditores, de quinque primis Artem primam, id est, præcipuam & maximam dico, cui Grãmatica & Dialectice quasi pręambulatrices dictionem pręparãt, & argumentationem: Musice autẽ & Arithmetica tanquam pedissequę pronunciationẽ subministrãt, & elocutionem. cuius quidem elocutionis tanta vis est, vt, si verborum coniunctio sicuti versus numerosè cadat, si quadret, si perficiatur, tanquam quædam actio, etiam in oratione scripta habeatur. Præclara namque est Aristotelis sententia: Elocutionem, quæ solis verbis fit,

ſi quidem rectè fit, id facere, quod & pronunciationem. Magnam ita Phœnicibus gratiam debemus, Auditores, qui numerorũ rationẽ hominibus à natura datam, arte ex cellenti ſic coluerũt, vt iam non ad mercaturas ſolum (quarum res omnes numero, pondere, & menſura conſtant) verum ad Eloquentiam quoq; ſit vtiliſsima. Quę certè Eloquentia diſperſos primũ homines in agris, & in tectis ſylueſtribus abditos, dicendi quadam vi compulit vnum in locum, & congregauit. & eos in vnamquãq; rem inducens vtilem atque honeſtam, primo propter inſolentiam reclamantes, deinde propter rationem atq; orationem ſtudioſius audientes, ex feris & immanibus, mites reddidit ac mãſuetos. quem hominum congregatorum cœtum, Ciuitatem hodiè

nos appellamus. In qua, cum Plato reipub. optimus institutor tria re quirat necessariò, Victum vt simus & viuamus, Habitationem, vt ab iniuria ventorum & pluuia defendamur, Vestimenta, quibus nuditatem cooperiamus: tria nata sunt hominum genera, Agricolæ, Ædificatores, atque Textores, quorum illi agricolando victum quærẽtes, cũ non posşent omnia simul, neque deberent omnia promiscuè loca exercere, constitutos acceperunt singuli certos agrorum terminos ac fines, quos tanquam posita quædam signa, quibus proprium ab alieno discerneretur, cum Nili inundationes in illis orbis terrarum locis, aliquando minuendo, aliquando immutando, nonnunquam etiam penitus delendo confudissent: coacti sunt Ægyptij nouos agrorum limi-

tes constituere , iterum atque iterum terram metiri. quæ terrę dimẽsio γεομετρία Gręcè dicitur, & est hodiè Ars quędã magna, atque in repub. summè vtilis. quam ego vobis, auditores, loco sexto cõmẽdo. Quãdoquidem is numerus fertilitatis, quam ex agris expectamus, quędam nota est, & maris ac fœminæ (vt ita dicam) naturam obtinet, ex vtriusque constans facultate. Nam in rerũ natura impar quasi mas est, par autem fœmina. Imparium quidem numerorum principium est ternarius, parium autem binarius: senarius, vtriusque vim habet. Sub vnitatem enim illam, quæ ipsius sexta pars est, numerus par & impar cõtinetur. Quæ igitur ars ordines terræ & mensuras præscribit, Terræ inquam fœminæ optimę, quam poẽtæ Bonam Deam, quam commu-

nem non hominum ſolum, ſed Deorum etiam matrem, quia cuncta ceu mater foueat, appellauerũt: hęc Ars quę huic Deę, hoc miniſterium prębet, primo numero pari, imparíq; mixto cenſenda eſt. qui numerus ſenarius, tum maris, id eſt, agricolæ qui ſerit, tum fœminæ, hoc eſt, telluris, quæ ſemem excipit, vim & diuerſam functionem exprimit. Venio nunc ad alterum illud genus hominum, quorũm in Repub. ope indigemus. non enim ſine urbe & ædificijs ciuitas vlla rectè conſiſtere poteſt. Architecti igitur turres & mœnia, ædesq; priuatas locis quibuſque oportunis conſtruxerunt. neq; id certè ſine Geometriæ cognitione. ſub quam vnam rerum omnium fabrefactarum & longitudo, & latitudo, vel in altum erectio vel in imum depręſsio, denique magnitudo

tudo & craſsities ſubiecta eſt. Huius Artis hac tanta vi, hi, quos modo eiuſdem authores nominaui, nõ ſolum priuatim ſibi domicilia, ſed ſuperbis etiam Regibus ſuis Pyramides excelſitatis admirandæ, de quadratis lapidibus exſtruxerunt. quarum quidem tam alta erant faſtigia, quantum oculi humani acies ſublime aſpiciendo pertingere potuit. Venerunt igitur homines, tum primum propter ſtructuræ nouitatem, tum deinde propter operis elegantiam, ſępe ad contemplandum. Qui eas aſpexit die turbulento, is in aëre tanquã nubes infrà volare: qui die ſerena, is ignem in cacumine, & vniuerſo cono: (nam radiorũ ſolis aduerſus ſaxorum læuitatem vehemens percuſsio eliciebat tanquam fulgorem quędam igneum, de quo Pyramides ſunt nominatæ) ſi quis

autem clara nocte aſpexit, is Lunã quaſi inter turres errãtem, videbat. Omnes itaque & corporibus iã & animis de terra tanquam in ſuperas regiones ſublati, cæperunt de rebus ſub limibus, de aëre, de igne, de luna loqui, ad quorum ſermones cum iugis Chaldæorum opera, & diligentia, quam obſeruandis ſyderib. impendebant, acceſſiſſet: perfecta eſt Aſtrologia illa, de ſtellis diuina profectò ſcientia, & de cuius inuentione grauis inter Aegyptios, atque Chaldęos ab eo tempore fuit cõtrouerſia. Sed vt eas Artes tandem aliquando concludamus, quas omnes quòd homine libero & honeſto ſint dignę, Liberales appellamus: diſciplinam aſtrorum libentibus animis excipite: Artem actione vtilẽ, cognitione iucũndam ne aſpernemini, ſcientiã terra, ad agriculturam, mari

ri

ri, ad nauigationē, bello, ad multas opportunitates, pace, ad quietā Deorum contemplationem conferentem. Aſtronomiā inquam, auditores, in vita hominis facultatem præpotentem loco ſeptimo numerate. Quis enim locus ei accōmodatior excogitari poteſt, quàm qui eodem numero omnes illius Artis partes potiſſimas complectatur? Eſt Luna & Mercurius, eſt Venus & Sol, eſt Mars & Iuppiter, eſt etiā antiquus pater Saturnus. Sunt Dij Deæq; omnes, ſunt ſingulis diſcreti ordinibus, ſunt numero ſeptem Planetę. Inter quos, cū homines cogitatione quodāmodo verſarentur, cumq; aſtrorū naturam, æquabilemq; motum, ratos etiam curſus illorum, quę inerrātia, quæq; errantia, & vaga dicuntur peruidiſſent (quorum illa vno eodemq; motu cietur, hæc contra

 duplici

duplici conuersione gaudent) cum
q; certas & constantes omnium vi-
as perspexissent: iste iam oculorum
aspectus oblectationem & volup-
tatem propè infinitam in animum
infudit. qui certè animus spectacu-
lis continenti serie succedentibus in
uitatus (alia enim ex aliis nascũtur)
insatiabili contemplandi cupidita-
te inflammatus est: & deinde (vt fi-
eri solet) curiosè peruestigabat, quę
nam esset natura istarum rerum,
quæ oculis cernuntur: & vtrum or-
tu carerent, an ortus habuerint prin
cipium: quæ etiam motus ratio: quę
causæ, quibus singulæ administran
tur. Ergo cum octauum illum orbẽ
(vt antiquitati placet. nam nos stel
larum inerrãtium, & fixarum pro-
prium esse arbitramur) homines vi
dissent sua vertigine cætera omnia
violentè rapere, ipsum verò, quoni

am

am extimus erat, à nullo moueri, in
eo motus initium eſſe putauerunt.
cumq́; ex motu omnis rerum ortus
& interitus ſit, latentē quādam vim
ab illo ſupremo in inferiores orbes
tranſfuſā, ab orbibꝰ in medias elemē
torum regiones deſcendentem, in
hæc infima rerum terreſtrium cor-
pora cadere, & iſta ab illis regi, ſu-
isq́; ordinibus diſponi exiſtimaue-
runt. Ex quarum rerum indagatio-
ne genus Philoſophię natū eſt, quo
ſanè nihil ad hominum vitam acceſ
ſit perfectius: quod ex Ionia primus
Archelaus importauit Athenas:
quo vno Græci multi ad immorta-
lem nominis gloriam peruenerunt.
Hęc eſt, Auditores, ea quam Phyſi-
cam dicimus, quam de cuiuſque rei
natura diſputantem audimus, quam
vulgus hodie ſolam vocat Philo-
ſophiam, quod tanta ſit eius prę-

ſtantia

ſtantia, vt illo nomine ſola digna eſſe videatur. Quæ quando modo quodam admirabili res vniuerſas, quæ natura conſiſtunt, deſcribat, cũ totius mundi ab illis cœleſtibus octo ſphæris circũacti, & diſpoſiti cognitionem profiteatur, ad ſimilitudinem octachordi Pythagorici concentus certè abſolutiſſimi, loco octauo conſtituatur. Vtinam mihi liceret, Auditores, homini dicendo ferè exhàuſto hinc aliquò expatiari, vt reſpirem, vel in hoc ſaltem loco vobis patientibus tantiſper quieſcere, dum me recolligam. Sed certos mihi fines terminóſque conſtitui, extra quos egredi non poſſum, ſi maximè vellem, & vos me meritò veſtra exiſtimatione reuocaretis, ſi extra hos cancellos egredi conarer, quos mihi ipſe circumdedi. Accedit eodem ſatis incom-

modè, quòd adhuc in circulo conuerser, cuius cum perpetuus est motus, quam ego à vobis quietē expectabo? Cogitate igitur cum animis vestris, auditores, quomodo rudes adhuc homines, & bestiarum more vitam traducentes collegimus, atque ad ciuitatem congregauimus, agros eis dimensi sumus, vrbes eis fundauimus, ædificia, & turres construximus, cogitate quo modo cœlū ipsū ascēdimus, inter sydera versati sumus naturas rerū mouentiū inuestigauimus. Deinde quomodo ad medias regiones delapsi sumus, aërem, ignem, & nubes vidimus. Demum quomodo ad terrā rediuimus. Hęc inquam vniuersa cogitate. Cœlum enim & terram, mundum dico totum peragrauimus, & adhuc aliquid deesse videatur? O immortalem Deum, Quis est obsecro scien-

difinis, si ille vno mundo cont ineri nequit. Restat, Auditores, mūdus alius. qui quoniam paruus est, me recreat & consolatur, magnámque spē facit, fore, ut vos me, sicut hactenus attentè audiuistis, sic deinceps velitis de altero isto mundo, cuius causa primus ille factus est, verba facientem diligenter audire. M. T. Cicero Socratem vocat ipsum parētē Philosophię, quòd deserta Physica, relictisq; rebus naturæ, & mortalitatis diuinius aliquid & immortale sapuerit. Socrates enim Hominem sibi ad contemplandū proposuit: qui certè Homo ob summā ipsius perfectionem μικρόκοσμος quasi paruus aliquis mundus, aut mundi saltem instar habēs, vocatus est. Hunc cum Socrates vidisset duabus partibus, corpore constare, & animo, illam tanquam naturalem,

&

& cum beſtijs communem nec, vllius ſapientiæ participem, remiſit ad Phyſicos: alteram autem hanc partem Hominis diuinam atque immortalem diligentiſſimè coluit. Cuius uires quandoquidem in ratione potiſſimum conſiſtant, (rationi autē cum ira & cupiditate ſempiternæ ſunt inimicitiæ) hinc effectum eſt, vt in vita hominum diuerſæ eſſent conflictationes, vtilis cum honeſto, fortis cum timido, iuſti cum iniuſto, mali cū bono, virtutis cum vitio: quæ quia pertinent ad mores, quos ἤθη Græci vocant, nos eam partem Philoſophiæ De moribus appellare ſolemus. Hanc ergo Philoſophiam Socrates primus deuocauit è cœlo. & in vrbibus collocauit, & in domos etiā introduxit, & coēgit de vita & moribus, rebuſqꝫ bonis & malis quęrere. quam ego

uobis

vobis Philoſophiam Auditores, quibus laudibus commẽdabo? Qua predicatione digne extollã? Nam, ſi illius momitis atque pręceptis venerari nos Deum, colere parentes, patriam amare, amicis bene velle dixero (quanquam hęc magna ſint, atque mehercule tanta, vt eis vita hominis nullo modo carere poſſit) tamen ad id improbitatis hodiè multi deuenerunt, vt iſta prorſus contemnant, quibus ego hoc vnum dico, ſi ſine cognitione illius Philoſophię, quę poſita eſt in virtute & moribus vitam agere conſtituant, certiſſimum fore, vt eó tandem perueniant ignorationis, vt ipſi ſe ipſos prorſus neſciãt. Etenim præceptum illud Apollinis, quo monet, vt ſe quiſque noſcat, hanc habet vim, nõ vt membra noſtra, aut ſtaturam figurámue noſcamus: ſed cum No-

te te dicit, hoc dicit, Noſce animū tuum. Nam corpus quidē quaſi uas eſt, aut aliquod animi receptaculū. Ab animo tuo quicquid agitur, id agitur à te. Hunc ergo noſce debemus: quod ſine ea arte, quæ illū docet, nunquam rectè faciemus, quæ quidem Ars, cum tres animi partes eſſe dicat, rationem, iracundiam, & cupiditatem, ad easq; tres partes, tres ſimiliter virtutes accommodet, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam: ex eisq; tribus virtutibus tria ciuium genera deducat, magiſtratus, milites, atq; opifices, à nobis quoque, auditores, ter trium numero ornetur, & loco nono habeatur. Venio nunc ad illam ſciendi facultatem, cuius homines excellentiam admirantur, & ſtupent. Ad Artem dico μετὰ τὰ φυσικά., & ſupra vires natu-

ræ positam venio, quam nobis Plato (quem diuinum omnes, Cicero autem ipsum Deum vocat) scripto elegantissimè commendauit. Fuit hic, quẽ dico, Plato, Socratis auditor, à quo cum omnes animi humani potestates didicisset, & obseruasset eã vim habere mentẽ in animo, quam Vim haberet oculus in corpore (sciret autem oculorum sẽsum, cæteris sensibus antecellere) ad prę̨stantissimam animi partem se conuertit, in mentis inquam cotemplationẽ totus incubuit. Qua in re, sic animus eius à corpore in supera alta sublatus est; vt nihil iam nisi de rebus vniuersis, de sola ueritate, de puris intelligentijs, de spiritibus, de angelis, de Deo cogitaret. O sapientiam magnam, scientiam uerò solam, quæ sic animos hominũ à terrestrium rerum cogitatione cõtẽ-

plationis

plationis quadam iucunditate attol lit in cœlum, ut mortis esse meditatio recte definiatur. Quis est enim magni uir animi, & excelsi, qui in hac misera, in hac calamitosa, in hac mortali vita sibi diutius manendũ esse velit, si animo semel à corpore dissoluto statim sit beata illa quiete, & sempiterna spirituũ felicitate fruiturus. Puto me, auditores, mea (qualiscunque ea fuit) oratione hoc effecisse hactenus, ut iam intelligatis, omnẽ scientiam à Deo primum ad homines dimanasse, & ab hominibus iterum ad Deum esse relatã. qui cursus quandoquidem circuitui similis est, vt in eo quidque desinat, à quo principium ortus acceperit, literarum quoque circulum, quem ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, puto me satis ostendisse. Nam μετὰ τῶν φυσικῶν lo

cō decimo pono.qui numerus, vt ōnes ali os,ſic hæc ars cæteras omnes ſuo ambitu concludit. Si quis enim à decem progrediatur,ille vnū & decem, du o decem, & ita deinceps numerabit,adeo mihi naturali quodam modo numeri videntur tanquam in gyrum ſponte concurrere. Nec diſsimilis planè eſt in artibus obſeruatio. Sermonem enim Ratio, rationem Eloquentia, eloquentiam,Pronuntiatio,pronuntiationem, numeroſitas commēdat. terrę dimenſionem, Aſtrorum gradus,& climata iuuāt. Ab aſtris in rerum naturas, & hominum corpora vis quędam influit. At cum corporibus, animorum quanta eſt cōiunctio? Animis verò cum mente & Deo quanta cognatio? Deum autem (vt ait elegans poëta Aratus), nemo tacendo prętęrit. De quo

tamen ſtultè loqui, ſummum eſt nephas, quem non omni laude prædicare, magnum ſacrilegium. Ita videtis, auditores, artes ipſas in ſeipſas flexu quodam iucundiſſimo recurrere, qui certè flexus perpetuò circumductus, formã circuli & perfectam naturam complet, qua vna figura, quid eſt obſecro pulchrius, quæ ſola omnes alias figuras complexa continet, quæq́ nihil aſperitatis habere, nihil offenſionis poteſt, nihil inciſum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunoſum. Quod igitur ſolum reſtat, auditores, cum ſit Philoſophia ſtudium ſapientiæ, omnes autem ſapere cupimus, cum ſint eius partes decem more cuiuſdam circuli compræhenſæ, cum earum ſingularum inuentores vel uiri doctiſſimi, aut maximi heroës, vel denique dij ipſi fue-

 rint

rint, in hoc eruditionis cursu vos ex ercete, in hoc literarum & Philosophię circulo tamdiu conuersemini, donec ex eo poteritis ad facultates publicas accedere. Sunt enim in Rebuspub. iam constitutis tria maximè necessaria. Ad communes negotiorum actiones Sanitas, ad officiorum & magistratuum functiones Æquitas & Iustitia, ad omnes in suis ordinibus rectè continendos Religio. Sanitatem conseruat Medicina. Iustitiam tuetur Prudentia Iuris & legum. Religionem defendit Sacra Theologia. quarum quidem facultatum illa de natura, ista ex moribus, tertia ab ijs quæ supra naturam constituuntur, profecta est. Ita ferè sunt tanquam tres communium studiorum fines pręscripti, ad quos sine Artium & Philosophiæ cognitione neminem

pertin-

,pertingere , nec vlla ſtudia cum
,dignitate in repub. tractare poſſe,
,quæſo mecum exiſtimate.

Dixi.

Richardus Whitus, Christophoro Ionsono Ludimagistro Wintoniensi amico suo, S. D. P.



ta nihil abs te, Christophore Ionson, literarum accepi ex eo tempore, quo in Italiam primum ueni, quasi si mutatio loci nostram quoque scribendi consuetudinem mutaret. Certè si tibi persuaderes, quàm iucunda mihi tua scripta semper extiterunt, non paterere me tot mensibus illis caruisse. maximè cùm mihi pollicitus sis, nescio quid abs te arte cultum, & ingenio elaboratum mittere, quod ego iam plus quàm annū & sex menses expectaui. Vtinam uerò aliquando cogitares fidem tuam in eo liberare. Id quod ut facilius facere poßis, ego tibi hic orationem, quam superiore anno prid. Kal. Martias Louanij habui, transcriptam à librarijs mitto. Est autem, ut uidere poteris, De laudibus Ciceronis & eloquentiæ. Quod argumentum propterea accepi, quia Senatus Louaniensis cogitabat eloquentiæ profeßionem instituere. Ad quam Scotus quidam ita ambitiosè adspirabat, ut cùm eloquentiam laudare debuit, potiùs se suasq; peregrinationes, Populumq; Louaniensem præter omnem modum ac rationem laudauerit. Cuius rei indignitate cōmotus ego sum, non quo illam causam cæteris melius orare poße, sed quòd ātepaucos dies alterā orationē περὶ τῆς ἐγκυκλοπαιδείας habuerim. & iam experire uolui, quid de Rhetori-

ea seorsim dici potuit. In quo si non id quod oportebat, tam cumulatè, ornateq; feci, tamen facere conatus sum. Neq; dubito tibi ueteri, & singulari amico meo illos conatus communicare, quos adhibita fortassis acriori diligentia politiores efficere potuissem. Spero enim pro amicitia nostra eo animo te illos accepturum, quo à me profecti sunt. Quod si feceris amicè, beneuoleq; feceris. Vale, & quicquid id fuit, quod mihi post Terea tuum, te missurum pollicitus es, præstare, quæso, festina. Iterum uale, & me ama. Patauij, xxui, Maij, M. D. L XV.

CHRISTOPHORUS

Ionsonus, Richardo Whito amico suo, S.

MEam in scribendo neglig*ẽ*tiam, etsi maximè possem, tamen nõ excuso. Atq; utinam tu perinde errorem agnosceres tuum, qui amicitiam, quæ inter nos arctissima est, non ad morum (quibus coaluit primum & hactenus continetur) sed ad omnium rerum similitudinem reducendam putas, eaque, quæ in te summa sunt, ingenium & eloquentiam, in me non minora esse existimas oportere, ideoq; postulas, ut post Terea, aliquid, quod sit elaboratius atque cultius, emittam. Vrges etiam, & me pollicitum scribis: simulq;, ut faciam, inuitas exemplo tuo. Quibus rebus breuiter ita respondeo, ut postulationem tuam non probem, assertionem negem, exemplo non commouear. Postulationem quidem, quoniam iniquũ est id te petere, quod à me, hoc ingenio & hac exercitatione, præstari nũquam potest. Assertionem uerò, quoniam si id, quod tu affirmas, uel innuissem modo, de curatore potius, quàm de fide leberanda cogitandum existimarem. Exemplo tuo, quòd eam comparationem mihi facere uisus es, quæ certè iniquissima est. Neq; enim aut illo ingenio ocioq; sum, ut emendatius quicquam scribere me posse sperem, aut ea insania, ut polliceri uelim, aut ea confidentia, ut tecum, præterquam in amore, contendendum mihi putem. Itaq; tu quidem, ut facis, illa limatiora, quæ à me efflagitas, ac retractatiora dabis, & quã sunt

uitales

uitales ingenij tui fœtus, scribendo experieris: ego, quem in hoc docendi carcere fortuna inclusit mea, quid de me polliceri debeam, non uideo, nisi fortè illud uis, ut instar cotis, quæ ipsa secare non potest, aliorum ingenia acuam: quod & pro mea parte faciam, & si diligenter accurateq́; fecero, satis me strenuam operam reipublicæ literariæ, ut nihil aliud accedat, nauasse existimabo. Benè uale, Wintoniæ, Calendis Septem. 1564.

De laudibus Ciceronis & Eloquen-tiæ, Oratio.



Estra singularis humanitas, quam in omnium artium & Philosophiæ circuli descriptione nuper expertus sũ, & meus ad eloquẽtiam propensus semper animus, me coegerunt, auditores, iterum in conspectum vestrum mihi multo iucundissimum, & in hũc etiam locum ad dicendum amplissimum, atque ornatissimum uenire, vt, quam artem de septem liberalibus præcipuam, & maximam nisi fallor, dixerim, & laudarim, illam vobis eloquentiam, nõ iam circuitu aliquo literario circunductam, quasique coactam subito sermonis cursu de conspectu uestro decedere, sed liberalẽ planè atque solutã, sed tãquã in aperto cãpo consti tutam,

tutam, & in totius Academiæ lucē atque ſplendore verſantem, mea oratione commendarem: vt vos eam qualis ipſa ſit, & quàm pulcherrimis ornamentis illuſtrata, vultu obtento, & continuis oculis intueamini. Eloquentiam enim ſemper exiſtimaui artem eſſe tam ornatã, tam ſpecioſam, & tã delectabilē, vt ſi cuius hominis paulo durioris (ne quid dicam grauius) aures, vocis dulcedine nihil deliniret, vel aliquando ſegnius afficeret: eius tamen hominis oculos, iucundiſſima ſua specie, & ſumma pulchritudine etiam inuitiſſimi, in ſe conuerteret. Neque eã vnquam putaui tam ieiunam eſſe, aut ſterilem, vt ſi quis vnam, & alteram in eius laudibus referendis orationē habuiſſet, omnis propterea dicendi materies conſumpta videretur, aut nihil inuenire poſſe, quod dicatur amplius.

amplius. Maior est enim quędam atque illustrior dignitas eloquentiæ, quàm vt eius laudes amplissimas ullius ingenij vis, scribendi copia, dicē di facultas, non dicā exornare, sed enarrare possit. Et me hercule perini quū foret atque absurdum, omnis copiæ artem & magistram in tantas angustias, atque inopiam cogere, vt de se dicturo, ipsa non possit, nisi semel saltem, aut iterum, laudationis argumenta offerre, quæ ferè semper cæteras res laudare consueuit. Quanquam igitur de eloquentiæ laudibus eleganter, ornatè, & splendidè multi uiri docti sæpè ante me dixerunt, & ego etiam ipse in eadem causa nuper ita versatus sum, non quidem vt volui copiosè, sed certè ut tum potui, per raptam circuli conuersionem, multa breuiter tetigi potius quàm explanaui: tamen in hoc tempore quid

de

de hac ipſa re dici poſſet accuratius, experiundum eſſe iudicaui: quandoquidem & veſtras hodie video, & omnium ferè hominũ in eloquentiã promptiſſimas eſse voluntates, quorum egò voluntatibus ſtudijsq; laudatiſsimis, & me, & mea omnia libenter cõmendo, vos diligenter obſecrãs, & obteſtans ſeriò, vt qua mẽte & quibus cogitationibus hęc à me ſuſcepta cauſa ſit, cõſyderetis: vt mea oratio ab animo vobis beneuolentiſsimo profecta, pari humanitate, & ſimili ſtudio excipiatur. Nam quo magis diffidebam, auditores, aliquã me imaginem Eloquentiæ mea oratione adumbratam atque formatam ad vos adducere potuiſse, homo certè ab eloquentia remotiſsimus: eo diligentius aduocaui mihi in auxilium illum virũ, qui poſt homines natos, ſolus Eloquentiam Romanam optimè

mè ornauit. M. inquam Ciceronem eloquentiæ non exornatorẽ modo, sed parentem etiam, atque educatorem, mihi in subsidium vocaui: vt nouo quodam more eloquentiam cum Cicerone conferrem, & tanquã filiam ad patrem referrem. Ita enim maximè, quomodo mihi persuadeo vtriusq; & dignitas & splendor apparebit. Nam illud quidem hominum generi propè natura datũ esse videmus, nescio sanè quo occulto & hominibus ignoto modo, ut in vultu filij, patris cognoscatur effigies, & ex paterno aspectu, filius agnoscatur. Quod ergo in arte pingẽdi viri peritissimi semper fecerunt, vt illi rei demonstrandæ, quæ inanima esset, & vitæ corporisq; expers, aliquã personam inducerent, vt res sic efformata deinde posset in tabula comodè depingi; idem mihi in hoc tempore

pore faciendum esse video: vt eloquentiam descripturus, aliquam illius formam, aut tanquam personam effingere debeam, quæ certè forma, & effigies qualis demum futura sit, (quoniam hic ego iam rem definiã) paucis mecum quæso cognoscite. Si qua sit igitur fœmina nobilis, potẽs. & gratiosa, cuius animus publicæ sẽper trãquillitatis est studiosus, si qua illustris, & fœmina primaria ciuitatis, cuius omnes cogitationes in hominum vtilitatibus occupantur, si qua mulier ingeniosa, fortis & constãs, cuius mores honestissimi, & vita summè laudata est, si qua non nupta mulier, domum suam patefecerit omnium necessitati, palamq́ sese in eorum qui consuluntur, vita collocarit, virorum alienissimorum causas agere instituerit, si hoc in vrbe, si in castris, si in forensi illa celebritate faciet:

ciet, si denique ita se geret non incessu solum, sed ornatu atque comitatu, non aspectu oculorum, non libertate sermonis, sed etiam comitate, mãsuetudine, vrbanitate, gratia, & omni genere officiorũ, vt non solũ ad hominum cõmoditates facta, sed ad animos ciuium regendos nata, esse videatur, si non sit difficilis, non morosa, non dura, non crudelis, non torua, sed frõte hilari & amœna, oculis firmis, neque vagantibus, vultu modesto & graui, labris decenter apertis, ore rotundo, nec hiante rictu, si lingua suaui, voce dulci, spiritu molli & eleganti, neque horrido, neque aspero, si nulla capitis vel in hanc vel in illam partem inepta iactatio, si humerorum ęqualis erectio, si depressio, si decora brachiorum collocatio, manuum nulla ridenda proiectio, si totus denique corporis habi-

tus

tus atq; gestus, non alienus, Dionysiæ saltatriculæ similis sit: sed moderatus & decens, si sermo summa cum prudētia coniūctus, neq; vociferationibus insanis, aut impudenti audacia efferatur, neque contra muto silentio, aut nimia timiditate supprimatur, sed qui in maxima hominum corona, atque adeò totius ciuitatis luce ac splendore mentes audientium detinere, tumultus reprimere, secessiones populi reuocare, pacem & concordiam persuadere, & iterum ad arma (si est opus) incitare, quocunque denique volet homines trahere possit, si qua, inquam mulier sit eiusmodi, qualem ego hactenus descripsi, illam certè mulierem, quæ ingenio esset tali, atque istis moribus prædita, quæq; tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gratia, tanto honore ante celleret, illam ego mulierem e-

quentiam profectò, nominandam esse censeo cuius quidem formam & speciem nostris oculis hodie subiectam, & animis occurrentem, nisi obuijs vlnis, sinu aperto & nudo, nisi mẽtis complexu, & cordis osculatione libenter exceperimus, ô nos infęlices, qui aspernamur oculis tam beatam eloquentiæ pulchritudinẽ, ô infortunatos & imprudentes, qui nos nostris bonis tam præclaris, ipsi priuamus, ò iterum atque etiam iterum homines miserrimos (si tamen homines dicendi sumus) qui ipsius humanitatis iura ignoramus. Quæro enim à vobis, auditores, & per deum immortalem rogo atque obtestor quę est ista tandem de qua toties, & tam multum gloriamur, humanitas? An ab illa parte profecta est, quæ nobis cum bestijs communis est? an verò ab ea, quã cum Deo

coniunctã cagnatámque habemus.
Si illam dicitis, ô nos, non iam amplius homines vocandos, sed bruta animalia. Sin autem hanc mihi respõdebitis, agnosco equidem lubẽs, & amplector rationis prærogatiuã: quam nobis Deus, ille princeps, parens rerum, & mũdi fabricator, pręcipuam dedit, cuiusq; nos socios esse cum dijs immortalibus voluit. Sed hæc ipsa certè ratio neque tam vos iuuaret, neque tam esset in nobis manifesta, nisi quæ concepissemus mente, promere etiam loquendo possemus, quod magis deesse cæteris animalibus, quam intellectum & cogitationem quandam videmus. Nam & aues moliri cubilia, & nidos texere, & educare fœtus suos, & excludere alienos possunt, vt de formicis interim taceam, quæ in æstatis calore ex antris in apricum prodeunt, mu-

 tant

tant si commodũ videbitur, domos suas & quasi suppellectilem, ita multa vehunt, & reuehunt, totos dies se laboribus exercent, donec tandem ingrauescente frigore, tanquam ad nundinas proficiscantur, vt communi quadam diligentia reportent, in hyemem conseruanda alimẽta. Nolo hic apes commemorare, quomodo illæ vni principi obediãt, vnum sequantur, ad vnius vocem, tãquam ad Imperatoris mandatum ê castellis suis euolẽt, non quomodo in hortos veniant, flores omnes sugant, & dulcedinem ex ijs miro cum delectu exhauriant, neque deinde quomodo succo onustæ redeant, onera in alueis deponãt, vt fauum & mel efficiãt, duas res suauissimas, nec in ipsarum modo, sed in nostra etiã repub. summè vtiles & necessarias. Hæc & eiuscemodi infinita multa commemo

rare nolo, quæ vniuersa non nullius fortasse rationis esse videantur. Sed hoc dico, auditores, animalia, quæ hæc faciunt, quôd sermone solũ careãt, propterea â nobis muta & rationis expertia vocari. Quare si nihil nos à dijs immortalibus oratione melius accepimus, si nullo magis hominem deus separauit à cęteris animalibus, quàm dicẽdi facultate, si denique ipsa hominum, quæ vocatur humanitas, â ratione profecta est (ratio autem sola oratione exprimitur & ornatur) quid tam dignũ esse cultu ac labore iudicabimus, aut in quo malimus pręstare hominibus, quàm quo ipsi homines cæteris animantibus pręstent. Idq́ eo quidem magis quòd nulla parte plenius, labor noster gratiam referet. Nam vt omittã, defendere amicos, regere consilijs senatum, populum & exercitum, in

quæ vult dicere, quàm sit hoc vtile, conueniátque uiro bono: nonne id vnum, & pulchrum & expetẽdum est, ex communi intellectu, verbisq́ꝫ quibus vtuntur omnes, tantum asse-qui laudis & glorię, vt non loqui, & orare voce hominis, sed (quod Peri-cli contigit) more Iouis max. fulgu-rare ac tonare videaris? Iam si me in terrogetis fortè hoc loco, quid ego inter eruditam & popularem ora-tionem interesse putem: dicã planè quod sentio, & liberè dicam, audito-res. Quantum à dulci philomelę cã-tico, inepta picarum dissonat garru-litas, tantum à viri eloquentis vber-tate, hominis vulgaris distat indigẽ-tia. Neque mihi hic tanquã durè atqꝫ (vt aliquib⁹ videri fortasse possim) inurbanè respondenti, quispiam e-loquentię vituperator obijciat, mul-tos sæpe inueniri, viros quidem ho-

nestos

nestos & probos, atque aliquando potentissimos ciuitatis, qui neq; copiosè, neque splendidè vnquã dicere potuerunt. Nam ego tales semper iudicaui ciues esse bonos, & aliquãdo non malos etiam Magistratus. At sapientiam habuerũt. Habuerint sanè maximam. Si tamen eam dicendo expromere non potuerunt, videtur mihi eodem planè modo sapientes in Rep. viri, quomodo homines cupidos & auaros, diuites esse dicimus. Nam si quis mecum disputaret, eum esse diuitem, qui pecunias habeat, parcum autẽ & auarum pecuniæ copiam habere: illi ego homini (id quod in simili causa aliquando Seneca fecit) responderem, auaro tam deesse quod habet, quàm quod non habet. Etenim si illud est verũ quod vt Apollophanes dicere solebat, ita summa nititur veritate: vsum opes

 facere:

facere: profectò homo parcus & tenax, qui aurum terra defossum, & argentum in arca conclusum habet, quãdoquidem ad uitæ necessitatem neutro ipse vtitur, opes nullas habet. Quis enim æquus rerum æstimator opes appellet eas, quæ laboranti domino opem nullam ferre possunt? aut quis diuitẽ opũ vocet eũ, qui in summa rerum omniũ viuit inopia? Sic itaque existimate, auditores. Si hoc totũ de quo agitur, nõ ex opinione hominum, sed pro rei veritate cõsyderare volumus: dicemus profectò in sermonis egestate sapientem esse neminem, præsertim cum non huius solum generis, sed cuiuscunque disciplinæ atque eruditionis expertes homines, Aristoles solitus sit vel mortuis comparare, vel infra mortuos amandare. Quod si ita est: qui certè, sapiens verè est, idem & copiosè lo-

quitur

quitur & ornatè, artémque illam dicendo exprimit, quam Cicero copiosè loquētem sapientiam idcirco nominauit, vt omnes intelligerēt facultatem benè dicendi virtutem esse: cum nulla sit sapientia nisi cum virtute coniuncta. cuius quidem virtutis quandoquidem proprium est, eum in quo inest meliorem efficere, hinc euenit, ut orator debeat esse vir bonus. Quibus ita constitutis, vt eloquentia sit, & sapientia, & virtus, & rerum optimarum, verborúmq; affluens: si nihil esset aliud, auditores, quare debeat amàri atque coli, tamē ob has solas res expetenda esset atq; diligenda. Sed si multa sunt eius ornamenta præclarissima, quorum nos aliquam partem recensuimus, si adhuc locum in repub. habet amplissimum, vt ciues in officio possit, non magis ferro quam voce, non vi quā

verbo

verbo continere: si ego illam omni laude prædicauero, si vsque ad cęlum extulero, si eam animorum hominū, atque cogitationū dominam, si Rerumpub. & principū reginam esse dixero, certè non mentiar. Quam artem præstantissimam, quomodo M. Tulius ad vrbem Romam, cæterarum omnium florentissimam, adduxerit, quoniam de Cicerone fuit alter locus orationis meæ, quæso diligenter attendite. Ita enim de Cicerone dicam, vt vobis eloquentiam semper commēdem. Natus ergo. M. Tullius Cicero ingenio tali, quale ingenium fingit Plato artium liberalium capacissimum, ad nullum literarū genus ineptus, ad poëticā certè prōptior fluxit: quo magis quorundam hominum demirari soleo ignorantiam, qui quasi carmen, Musis, & Apolline nullo fecisset, ita Ciceronem

poëseos

poëſeos imperitum fuiſſe dicunt: cum tamen ille, adhuc puer, Ponti- um Glaucum, opus quidem paruum, ſed elegans & politum, tetrametro verſu conſcripſerit, & procedente deinde ætate adeò fuerit in hac arte ornatus, vt non ſolũ orator, ſed Ro- manorum omnium poëta optimus iudicatus ſit. Verum cum in dicen- di præceptis, & eloquentiæ copia eius inſtitutio potiſsimumilluxiſset: Philonem Academicum ob ipſius e- ruditionem egregiam, & humanita- tem iucundiſsimam conueniebat, ac ordinis etiam ſenatorij populares & optimates, eos inquam viros, qui con ſuetudine Mutij fruebantur, à quibus inſtitutis ſuę ciuitatis, vrbiſq; legibus inſtructus eſt. Hic mihi illud, audito res, quæſo conſyderate, M. Ciceronẽ ad pręcepta rhetorum, cum primis iuris & legum ſcięntiam adiunxiſse,

quam

quam non ſolum à Q. Mutio Augure Scęuola, ad quem à patre ita erat deductus ſumpta virili toga, vt ab eius latere nũquam diſcederet, ſed Augure mortuo, à pontifice etiam Scæuola, eiuſq́ꝫ amicis perdidiciſset. Temporibus Syllæ perturbatiſsimis, cum animaduerteret ciuium tantas eſſe ſeditiones, vt ex eis Reſpub. in odioſã monarchiam ruitura videretur, ſibi quoſdam uiros Græcos priuatim adhibuit, vt in quieto literarũ ocio cum illis ſtudia conferret. Attendite rogo diligenter, auditores, vt hanc primã cum Græcis conſuetudinem memoriæ mandetis. Etenim rem facilius totam accipietis, ſi hoc memineritis, & quare Cicero parens eloquentiæ vocetur, & quomodo hæc ab illo ars orta profectaq́ꝫ ſit, intelligetis. Cum iam Sylla, de bello Marſico victor eſſet, & eius libidini

tota vrbs exponeretur, Chrysogonꝰ libertus, sub ipsius hasta bona cuiusdam, qui ex proscriptione cæsus uidebatur, duobus millibus drachmarum emebat: quod cum Roscius filius, & defuncti hæres grauiter ferret, & ducentorum & quinquaginta talentorum eadem esse probasset: Sylla hac quasi reprehensione vehementer cõmotus, subornato accusatore Chrysogono, parricidij Roscium postulauit. Nemo hic Roscio adfuit, nemo consuluit, nemo, qui defenderet, inuẽtus est. Omnes fugiebãt, omnes auersabãtur, omnes Syllæ odiũ timebant. Nudus ergo patrocinio Roscius, & amicorũ auxilio destitutus, quid obsecro fecit? An animum abiecit? An de salute sua desperauit? An indicta causa victum se condemnatumꝗ iudicauit? Nihil horũ. Quid ergo enim? Sextus Roscius summę vir probitatis & vi-

tę integerrimę, cũ sibi tãti sceleris cõscius nunquam esset, ad innocentiæ defensorem, ad honestatis virtutisq; propugnatorem, ad M. inquam Ciceronem, adhuc adolescentem, confugit. Mirum est, virum florentis ciuitatis honestissimum, & amicorum copia semper munitum, nunc in hac temporum necessitate, qui se tueretur inuenire potuisse neminem: vt cogeretur in manus adolescẽtis, se, vitam, fortunasq; omnes suas committere. Quem quidem ętate solum adolescẽtem Ciceronem, hortabantur amici, & beneuoli omnes ad hanc causam suscipiendam. Dixerunt, nihil aptius, nihilq; commodius, ad primum nominis sui splendorem inueniri posse. Vehemens me herculè apud adolescentem, famę suæ & existimationis studiosum, persuasio. Suscepto itaque Roscij patrocinio, victoriam cũ summa

ma laude cõsecutus est. M. (inquã) Cicero ex Syllę superbè dominantis, faucibus ereptũ, Sextum Roscium pristinę honestati famęq́ʒ restituit. At qua tandem vi? Quibus obsecro armis? Dicam profectò, auditores. Quem in campo Marte vario diu pugnantem, nullæ hostium minæ, nulla exercitus arma, nulla virorum fortissimorum manus vincere potuit: hunc in vrbe iam regnãtem, liberè, quos vellet, proscribentem, vnius adolescentis ornata oratio, vis verborum, & sola lingua flexit, fregit, & debellauit. O potẽtem vocem oratoris. M. autem Ciceronis laudẽ sempiternam, qui talem de se expectationẽ in animis hominum suscitauit, & tam præclara nobis documenta prima dedit, neque vllo vnquam tempore istis aut minora fecit, aut obscuriora. Nã si aliqua glo-

ria paritur, & gratia defensionibus: M. Cicero in causis, iudicijsq; publicis ita versatus est, vt defẽderit multos, læserit neminem. Si maior gloria comparatur & gratia, quando id accidit, vt ei subueniatur, qui potentis alicuius opibus circumueniri, vrgeriq; videtur: M. Cicero & sæpè alias, & adolescẽs, virum simplicem, parcum & bonum, multis vitæ ornamentis præditum P. Quintiũ annos sexaginta natum, cõtra Sex. Neuij hominis fraudulenti, potentis, improbi, & maliciosi calumniã: & Sex. Roscium virum (vt ante dixi) honestissimũ ciuitatis contra L. Syllę dominantis opes defendit. Sed si maxima gratia conciliatur & gloria, cum quis ornatissima in repub. dignitate, magistratu, atque consulatu perfunctus, ita se in summa honorũ amplitudine gesserit, vt omnium ciuiũ

animos, fauore atque beneuolentia sibi coniunxerit, seseq́ pro patriæ conseruatione, capitis fortunarumq́ periculis obiecerit: M. Cicero tantam hinc laudem meruit, vt omniũ primus Pater patriæ sit appellatus. Si quis ergo reos defendẽdo, miseris subueniendo, & publica dignitate præclarè fungẽdo, gloriam adeptus & gratiam consecutus vnquam est: ô nostri Ciceronis nomen, apud õnes ęternitates, & summè gloriosum & gratiosum maximè. Cuius tamẽ lumen fortunę iniquitas (quę rebus optimis semper inuidet) in primis istis splendoris initijs, prorsus extinguere conata est. Nouum enim facinus, auditores, & indignum, quæso cognoscite. Lucius Sylla qui iam causa ceciderat, non tã Roscio, quòd auctionem reprehendisset, quam Ciceroni, quod Roscium defendisset:

ſubito factus eſt hoſtis infeſtiſsim9.
Illum igitur de medio ſublatum eſſe voluit, ad eámque rem ſuas cogitationes conuertit. Id cũ Cicero intelligeret (quod viri prudẽtiſſimi ſemper fecerunt, vt iræ principis, non aliter quàm leonis inſanientis furori cederent, ſeſéque in meliora reipub. tempora conſeruarent) vrbem reliquit, & in Grçciã profectus eſt. Athenas vt attigit, facilitate ſimul, & mira linguæ ſuauitate Antiochi Aſcalonitæ allectus, eius auditor fuit. Recognoſcite mecum, auditores, alteram hãc M. Tullij cũ Grçcis, nõ in Roma conſuetudinẽ, ſed in ipſa Græcia, totam & plenam viuendi conuerſandiq́; rationem, idq́; Athenis, vrbe omnium literarum florentiſsima, & ipſius Mineruæ ſacra ſede, quę ad Romanos rerum dominos, totiuſq́; orbis terrarum, popu-

lum principem, & regem, non solū artes iuuentutis & mathemata, sed vniuersam etiam phylosophiam, & leges sacratissimas transmisit: tamen ne aliquis inuentus vnquam est, qui Græcos non laudet, non amet, non omni prædicatione dignè extollat? Dum hæc aguntur, & iam Cicero multum ac diu honestissima studiorum contētione se exercuisset: mors Syllæ subito nunciata est. Gratum profecto nuncium, non tantum Ciceroni, qui iam constituerat, si omnino à publicis negocijs excluderetur, aut eijceretur aliquando, huc ex vrbe, ac foro se transferre, & Athenis in quieto phylosophiæ otio viuere: sed ô nuntiū ciuitati Romanæ multō gratissimum. Quid enim Sylla aliud fuit, quâm dominator in repub. importunus, & proscriptor iniustissimus? Missę sunt hoc tempore

ex vrbe ad Ciceronem beneuolorũ suorum litteræ, quæ ipsum hortabãtur, vti rediret, & se ad ineunda reipub. negocia excitaret. Ad his accessit Antiochi preceptoris eloquentię, ferè idem & simile consilium, vna tantum re dissimile: quòd vt Cicero statim Romam reuerteretur, hoc nullo modo Antiochus voluerit: sed vt antè artes oratorias iterũ perpoliret tãquam aliquod instrumentum, quo potentiam Reipub. agitaret, & se quàm optimè in dignitate gereret, id verò maximè sit cohortatus. Tãtisper ergo (priusquam se referret domum) M. Cicero nauigauit, vt primum in Asia clarorum oratorum Xenoclis Adramyteni, Dionysij Magnesi, & Menippi Carij consuetudine vsus sit: deinde in insula Rhodo ad Apollonium Molonis clarissimum oratorem, & Posidonium

ſidonium illuſtrem phyloſophum ſe contulerit. Hic quem dico Apollonius cum Latinæ linguæ ignarus eſſet, rogauit Ciceronem, vt Græcè declamaret. Cicero cũ exiſtimaret hinc ſe emendatiorem fieri poſſe, putauit Oratori tanto, honeſtum & ęquum poſtulanti, eſſe concedendũ, & quod rogabatur, id animo lubenti complexus eſt. Cum itaque declamauiſset, cęterique in ſtuporem adducti, de laudibus Ciceronis intra ſeſe, cum animis ſuis ſinguli concertarent, ſolus Apollonius, qui Ciceronem ad hanc contentionem orationis prouocaſset, iam primum ex admiratione ingenti in tantam mentis conſternationem prolapſus eſt, vt illum orantem ne intelligere quidem poſset: ſed facto dicẽdi fine, ſolus ſecum meditans, diuq; tacitus ſederet. Magna, auditores, e-

 loquentia;

loquentia, quæ oratorem tantū, quā-
tus apud omnes habitus eſt Apollo-
nius, ita ipſum ſibi eripuerit: vt nec
Græcè intelligeret homo Græcus,
neque unum verbum faceret, maxi-
mus orator. Tandem prorumpente
in medium Cicerone, rediit ad ſe
Apollonius, & quaſi gratiam rela-
turus, Te, inquit, Cicero & laudo &
admiror. Sed Grȩcorū fortunȩ me
miſeret, cum videam eloquentiam,
quæ ſola nobis bonorum omnium
relicta erat, per te Romam acceſsiſ-
ſe. ò te Apolloni, ſi vn̄quam aliâs,
hoc certè tempore veriſsimè dicen-
tem. Quam enim artem uobis Grȩ
ci, ſolam reſeruaſtis, cum reliquas om
nes iam olim Romanis communi-
caſsetis, illam vobis artem, bene or-
natéq; dicendi, venit erepturus Ci-
cero: illam vobis è manibus excuſsit,
excuſsam, mente excepit, mente con
ceptam

ceptam, ingenio fouit, Romámque aſportauit, victor rediens & triumphator. O te igitur, victorẽ fœliciſſimum Cicero, non iam à turbulenti Martis, ſed pacatæ Mineruæ caſtris redeũtem. O te M. Tulli triumphatorem ter maximum, non ex bello ſolum contra homines cõiuratos, ſed ex ſtudio contra viros Græcos. Quibus ego te hîc verbis? Qua tãdẽ prędicatione extollam? Nã ſi (quod Poëta in minori cauſa dixit) mihi línguę eſsent cẽtum, ſi ora centum, ſi ferrea vox, latera fortia, ſpiritus inexhauſtus, pectus infractũ, nũquam tamen hunc vnum triumphum tuũ poſsem ſatis decantare. Opprimi me hic ſentio, auditores, magnitudine atque iufinitate laudum Ciceronis, homo amens, & imprudens qui fui, vt in me aliquando M. Tullij laudes dicendas ſuſciperem, qui apud

T. Liuium historicū magnum, & authorem grauem, legerim, in laudes Ciceronis sequendas, Cicerone laudatore opus esse. vt sicut Aiacem nemo potuit superare, nisi Aiax, quòd viro fortissimo nemo esset fortior: sic Ciceronem nemo laudare, nisi Cicero posset, quòd oratore eloquentissimo, nemo sit eloquentior. A qua quidem laude, cum ego mortalium omnium sim alienissimus, atque is certè sim, qui ad laudationem Ciceronis nihil adferre possim, non dico amplius. Illud tamen dicam, auditores, M. Ciceronem, cum quosdam P. Virgilij versus audisset, & statim acri iudicio intellexisset, non communi ingenio factos esse, cum totam eclogam accuratè notasset, ad finem dixisse: Magnæ spes altera Romæ. Alteram autem dixit, quòd ipse linguæ latinę spes prima fuisset, & Ma

ro futurus esset secunda. Quandoquidem igitur Cicero hoc Maroni laudationis hemistychium attribuit, nihilque ego Cicerone dignum præstare possum, quod solum possum, id libenter faciam. Accipiam mutua vice à Vergilio carmen, quod Ciceroni, de eloquentia comparata triumphanti proprium dicabo. Te igitur appello Romam redeūtem Cicero, te triumphantem oratorem nobilissimū: Egregiam verò laudē Marce Tulli, & eloquētiæ spolia ampla tulisti, quibus exornatus cum Delphis uenisses ad Apollinem, rogassesq; quid acturus, posses ad gloriam & splendorem nominis peruenire: responsum tibi est, vt naturam tuæ vitæ ducem, non multorum opinionē sequerere. Natura enim te ad eloquentiam effinxit. Sed multorum, tibi amicissimorum hominum

opinio

opinio, ad negocia reipub. gerenda nimium properanter excitauit. At tu Delphici oraculi memor consilio quidem optimo, primum reditus tui tempus in ciuitate quietè transegisti, ad Rempub. pigrè accessisti, & te dignitatibus ægrè ingessisti, Græcum hominem te, atque ociosum appellari audiuisti. quæ duo nomina tanquam odiosa, in ore rudium opificū de te facile & crebrò diuulgabãtur. Quæso, auditores, cogitate mecū hoc loco Ciceronis otium, vt quid ille tanto tempore, in quieta ciuitate, post peregrinationū difficultates, antequam accederet ad remp. egerit, intelligatis. Legistis, credo, in fabulis, auditores, quomodo Iupiter Semelen Cadmi filiam amauit, ad quam ex Ioue pregnantem Iuno grauis adulterij vltrix accessit, induta personam Beroës nutricis, &

quo

quo magis Iouis amor, quãtus esset, appareret, Semelen iussit de Ioue petere, talem vt se sibi exhiberet, qualẽ Iunoni solebat. Semele magnum esse putans, videre tam præclarũ Deum, cum liberam haberet cuiuscunque rei, quam vellet, optionem: solam rogauit apparitionẽ dei. Indoluit Iupiter rogatæ, quòd mortalium oculi, immortalis Dei vultum intueri non possent. Sed quid faceret? neque enim iusiurandum per paludem Stygiam fas fuit violare, etiam ipsi deo. Accepto igitur in manus fulmine Iupiter mulierem sibi amatam à Iunone illusã, infausto munere, Semelen interemit, & infantem, eius vtero exectũ, suo fœmori imposuit, & tempore partui oportuno more grauidæ mulieris enixus est. Hinc Bacchum hodie bimatrem appellamus, quòd primum ex Semele, deinde ex

Ioue tanquam duabus matribus in hanc lucem æditus fuerit. Hic ego si fabulas sequerer, auditores, possem Iouem, Æneę Veneris filij causa Romanis semper, quàm Gręcis amiciorem dicere. Iunonem contrà, hos amasse, illos infesto animo persecutã fuisse. Et certè an in causa eloquentiæ, de Græcis ad Romanos transferẽdę, Iupiter Iunoni, par pari (quod aiunt) retulerit, nihil dico. Vos existimabitis, auditores. Nam ego debere nos Græcis (ne à quibus beneficiũ acceperis, eos cõtemnas) & debere nos Athenis, fateor, tanquam matri cuidam Semeleiæ acceptã referre eloquentiam, pulchram illam quidẽ sed tamẽ aliqua ex parte informem, quasiq; infantem adhuc, neque omnibus numeris absolutam. Quippe, si ne ipse quidem Demosthenes, qui vnus eminet inter omnes in omni

genere

genere dicendi, ſemper impleuit aures Ciceronis, quem ego Græcum, perfectum dicam Oratorem. Hanc ergo eloquẽtiam talem, viribus adhuc inbecilliorem, quàm vt in forẽſi ſtrepitu & populi ſeditionibus poſſet cõſiſtere, excuſſã (vt ãte dixi) de Græcorum manibus quodã verborum fulmine, M. Cicero, tãquam aliquis Iupiter, aut certè à Ioue ad hoc miſsus, in ſinum ſuum excepit, & Romam aſportauit. Vbi ſi, quid egerit, interrogetis, toto illo temporis interuallo, quo poſt reditum ex Græcia, ſe abſtinuit à Republica: dicam profectò, auditores: Parturiuit eloquentiam. Nam cum omnis naturæ generatio, ex coniunctione fluat, M. Cicero ſemper cum Græcis Ltaina coniungens, idque in dicendi exercitatione maximè, concepit animo illam eloquentiæ pul-

chritudinem,

chritudinem, quam in vrbe Romanorũ hoc quietis tempore peperit: perfectam illam & plenam, suisque numeris absolutam benè ornateq́ʒ dicendi facultatem: filiam quidem talem, qualem vobis ante descripsi, quã manu prehensam eduxit domo, & in forum adductã populo commendauit, qua ex re tantum sibi famæ & existimationis conquisiuit, vt ad sũmas dignitates non paulatim, aut quasi per certos gradus ascenderit: sed subito atque statim, magno nominis splẽdore & gloria, cęteris, qui versabantur in foro, omnibus vnus emicuerit. Nimirum oportebat tantum lumen artis nobilissimæ, ita virtutis suæ radijs, oculos hominum perstringere, vt animos etiã posset iucunditate mouere, & in sui admirationem populũ accendere. Quod quia Ciceroni semper ad maximum

honoris & glorię cumulũ accesſit,
& ita quidem accesſit, vt & magi-
ſtratus optimus, & orator maximus
haberetur. Vt pater patrię, & parẽs
eloquentiæ primus appellaretur.
Ego in hac tanta nominis & inge-
nij laude, ipſum vobis, auditores, cõ
mendo: perfectum vitæ in Repub.
agendæ exemplar: vt eius monimẽ-
ta, quæ vobis reliquit, aſsiduis mani-
bus vſurpetis. Nemo enim orator
tam multa, ne in Græco quidem oci-
o ſcripſit, quàm multa Cicero. cuius
opera ſi cui placere cœperint, illum
iubet Quintilianus confidenter cre-
dere ſe in ſtudio multum profeciſſe.
Hanc enim habẽt (quam ego hacte
nus ſi non laudaui, laudare certè vo
lui) perfectam eloquentiam. Quæ
quidem Eloquentia non vni hodie
Romanorum vrbi, ſed vniuerſo ter
rarum orbi comendatiſsima eſt: &

vobis quoque, auditores, optimo nobilitatis consilio, & summa magistratuum prudentia, breui (sicut audio) cõmendabitur, quod illis honori, mihi & vobis vtilitati, atq; huic Academię Louaniensi, fœlix, fortunatumq; sit, precor. Dixi.

Errata sic corrigito.

Quat. A. pag. 4 linea. 2. quoniam, lege quin. pag. 13, li. 1. difficillima communibus. &c. lege difficilima, sed cõmunibus. li. 8. pro grauissimas, lege ornatissimas. pag. 16. li. 6. lege omnium.
B. Pag. 4 li. 2. leg. ex multis literis, ex multis syllabis, &c. pag. 5. li. 8. habeant. lege habebant.
C. pag 4. li. 10. agricolando, lege. agro colendo. pag. 16. linea 4. leg. monitis.
E. pagina 3. li. 1. alienus, Dionisiæ. leg. alicui Dionysiæ. pag. 4. censeo cuius, leg. censeo. Cuius. pagina 8. li. 1. dicere, lege ducere. pag. 15. linea penult. pro enim, lege est.
F. pag. 15, linea 20. lege Latina.

Londini apud Reginaldum Wolfium
1566.

By me George
Rector of the parish
Ditton in the same
county

